



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

XI. Epistola civium Narbonensium ad Honorium III. Papam, de diruendis
muris Narbonensibus ad mandatum Simonis Comitis Montisfortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

APPENDIX

88

possidere videbantur. Accepit quoquè idem Guibertus de Lavernia dominus terræ illius cum fratribus suis , quia istud fieri concessit , cl. solidos à Geraldo præfato de sancto Vincentio. Dedit etiam ipse Guibertus & fratres ejus beato Stephano & Caturcensi Ecclesiæ quicquid in Ecclesia de Asnago vel ipsi in dominio vel aliqui per eorum manum habebant. Insuper verò concessit cum hisdem fratribus suis ut si quis Miles vel alicujus conditionis homo vel femina dare voluerit beato Stephano quaque occasione aliquid de his quæ per eorum manum habere videtur, ipsi omni securitate & auctoritate confirmarent fieri.

XI.

Epistola civium Narbonensium ad Honoriū III. Papam , de diruendis muris Narbonensibus ad mandatum Simonis Comitis Montisfortis.

Ex archivō regio Parisiensi.

SANCTISSIMO Patri ac Domino suo Honoriū Dei gratia Summo Pontifici , omnes cives Narbonæ , tam civitatis , quam suburbij , cum omni devotione , reverentia , & humilitate , salutem , vitam , gloriam , & honorem . Sanctitati vestræ notum facimus quod cùm Dominus S. Dei providentia Dux Narbonæ , Comes Tolosæ , ac Vicecomes Biterr. concedat nobis licentiam ut ad cognitionem nobilis viri G. Senescalli Biterrensis & R. de Poisiaco clausuram circa civitatem & burgum Narbonæ faciat.

mus, juravimus firmiterque ac bona fide & sine omni malo ingenio promisimus quod quandocunque praedictus Dominus S. nobis praeceperit vel manda-
vit per litteras suas seu per nuntium suum certum,
nos sine omni mora & sine omni excusatione ac diffi-
culty clausuram diruamus praedictam ad suam pe-
nitutis voluntatem. Juravimus præterea quod faidito-
res de terra sua, ruptarios, & quoilibet alios inimi-
cos & proditores Comitis memorati post prohibi-
tionem suam nullo modo recipiemus scienter. Si
vero aliquis vel aliqui de praedictis faiditis, prodito-
ribus, & inimicis dicti Comitis nostram civitatem
intrarent, Bajulus ipsius Comitis, vel ille qui man-
dato ejus esset in civitate praedicta, caperet eos, no-
bis non prohibentibus; immo ad submonitionem
ipsius Bajuli, vel illius qui loco ipsius esset, eidem
ad capiendos dictos faiditos, proditores, vel inimi-
cos auxilium praestaremus. Ad quæ omnia & sin-
gula supradicta bona fide & sine omni malo ingenio
fideliter adimplenda & firmiter observanda nos om-
nes praedicti cives tam civitatis quam suburbij Nar-
bonæ per propria juramenta quæ nos fecimus super
sancta Dei Evangelia, & per præsentes litteras sigil-
lis nostris munitas, quorum duo paria facta sunt per
alphabetum divisa, nos fideliter obligamus. Datum
Narbonæ anno nativitatis Christi MCCXVIII. tertio
Kal. Marci.

